



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae

Diertins, Joseph

Solisbaci, 1708

Med. 14. De Apparitione sextâ. Myst. punct. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](http://urn.nbn.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

etiam in hac vitâ. Viam mandatorum tuorum curricum dilatasti cor meum. Ps. 118.

COLLOQ. Plena fide, & spe, erga Christum tam amabilem Regem nostrum. RECOLLECTIO.

MEDITATIO XIV.

De Apparitione sextâ. Joan. 20.
Myst. punct. I.

ONG. Sicut dictum supra.

PRÆL. I. Quomodo Discipuli omnes præter Thomam, congregati fuerint, propter metum Judæorum.

PRÆL. II. Locum mente intueri, in quo erant congregati.

PRÆL. III. Petere gratiam, inter adversa, Christo constanter adhærendi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Respiciamus Discipulos congregatos.

INTEL. Consideremus illos: *Sicut oves in medio Luporum.* Matth. 10. hoc est in medio Judæorum, qui militabant sub vexillo diaboli. REFL. Cogitemus nos etiam esse in mundo in medio adversariorum, per quos Dux impiorum conatur nos etiam debere esse congregatos, hoc est, unitos charitate fraterna.

VOL. Petamus gratiam veræ, & sinceræ charitatis fraternæ, quâ invicem diligamus, non ob motiva naturalia, sed propter Deum.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Cogitemus sermones, quos id temporis & locis, habuerunt Discipuli inter se.

INTEL. Haud dubiè invicem in memoriam revocabant, quæ Christus prædixerat de sua resurrectione: *Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam Matth. 26.* Et tertiâ die resurget. Matth. 20. & his similia. REFL. Discamus nos quoque talia cogitare & loqui, dum sumus in tribulatione.

VOL. Cum Jobo in angustiis, & persecutionibus dicamus: *Scio enim, quod redemptor meus vivit, & in novissimo die de terrâ surrecturus sum,* &c. Job. 19.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Cogitemus, quomodo Discipuli sic congregati sibi invicem animos fecerint, & conati sint metum Judæorum superare.

INTEL. Haud dubiè Petrus fecit ibi, quod ipsi mandaverat Christus. Luc. 22. *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* REFL. Sic etiam debemus nos ipsos, & alios fratres nostros confirmare contra metum, & terriculamenta, quæ per suos Ministros solet injicere Dæmon.

VOL. Imitabimur in hoc deinceps spiritum bonum, cui proprium consuetumque est, recte agentibus animum ac vires addere, &c. Reg. 2. hebd. 1. disc spir. idque divinis, non humanis rationibus. Sederunt Principes, & adversum me loquebantur: *Servus autem tuus exarcebatur in justificationibus tuis.* Ps. 118. hoc modo nos, & alios confirmemus in persecutionibus, quas suscitat Dæmon.

COL.

COLLOQ. De 2. Vexillis, petendo exploratas habere fraudes mali dæmonis, & gratiam eas vitandi,

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO XV.

De Apparitione sextâ. Joan 20.

Myst. punct. 2.

CONG. Desiderium Christo redivivo congaudendi.

PRAEL. I. Quomodo Christus ad Discipulos congregatos ingressus sit januis clausis.

PRAEL. II. Videre conclave, quod Christus ingressus est.

PRAEL. III. Petere charitatem, gaudium, & pacem Christi,

DUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus, & recenseamus Discipulos congregatos.

INTEL. Aberat Thomas; sed videntur ex Emmaus accessisse Discipuli duo illi, & in illâ Congregatione participes fuisse claræ apparitionis Christi, quem absentes tantummodò cognoverunt, cum evanesceret ex oculis eorum. **REFL.** Hinc possumus æstimare vocationem nostram ad Congregationem, & Societatem Jesu. Nam in Religioso convictu Christus se suaque Mysteria clarius communicat, sicut S. Bernardus alicubi describit.

VOLO. Agamus gratias pro tanto beneficio, & petamus gratiam perseverantiae.

Bb 5

PUN.